

*Dissertatio Academica
Sistens cogitationes
De
Origine & Propagatione
Litterarum;*

Cujus
Partis Posterioris sect. Posteriorem
Conf. Ampliss. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi;
Publico examini modeſte ſubmittunt

SAMUEL WILH. HEURLIN,
Phil. Mag.
&
HENRICUS SELENIUS,
Stip. Reg. Wiburgenses.

*In Audit. Majori die VII Decembris MDCCXCVI,
Horis ante meridiem folitis.*

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



§. VIII.

In regionibus Euphrati (Indove) vicinis ortam primum esse veram scribendi artem, scilicet Alphabeticam, indeque ad cæteras *Asiæ* terras diffusam; ex iis quæ supra disputavimus, admodum probabile videtur (a). Eodem ex fonte inventum hocce' ingeniosissimum etjam ad *Africam* affluxisse, nemini Historiam ducem sequenti, obscurum esse potest. Ad *Aegyptios* quod attinet, illos scripturam suam Alphabeticam Phœnicibus debere, vetus traditio ac fama constans manifestum facit (b). Hæc etenim gens

F mer-

(a) Asiam artium & literarum fuisse patriam, & intergentes Asiaticas Babylonios (ac quosdam populos Indicos?) luce primum collustratos, a pluribus eruditis est agnatum. Cfr. WAHL *Versuch einer Allgem. Geschichte der Litteratur* I Th. p. 14 sq. HERDER *Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit*, II. Th. p. 294—305. III. Th. p. 63—74.

(b) Hac de re plurimi certe scriptores conveniunt. Cfr. HERDER I. c. III. Th. p. 116. DENIS *Einleitung in die Bücherkunde* I. Th. pag. 31. WAHL I. c. I. Th. p. 20. 37. 65. Ac similitudinem literarum Phœniciarum cum Aegyptiis demonstrat CAYLUS *Recueil d'Antiquités*. T. I. p. 74. T. V. p. 78. (Paris. 1752. 4:o.) Cfr. etjam BÜTTNER *Vergleichungs-Tafeln* I St. p. 12. Tab. II,

mercatura & navigatione (ad quam ipsa oræ suæ maritimæ opportunitas eam excitavit) antiquitus illustris, una cum mercibus suis literas etjam artesque Asiaticas in Europam & Africam advexit (c). Ab eodem etjam populo *Carthaginenses*, Coloniam Phœniciam, literas accepisse, facile est intellectu. Harumque gentium ut linguam, ita & scripturam, admodum fuisse similes, ex numis earum, qui adhuc supersunt, appareret (d). Aegyptios vero & Carthaginenses acceptam a Phœnicibus scriptu-

(c) Cfr. quæ de navigatione & artibus Phœnicum copiose non minus, quam eleganter disputant HEDDER I. c. III. Th. p. 98. 99. & WAHL I. c. I. Th. p. 19 sq. quorum hic bene observat: „Die Verbreitung der „Künste und Wissenschaften ist ihr vornehmstes Ver- „dienst. Sie streuten den ersten Samen Asiatischer „Künste in alle Welt aus.“

(d) Cfr. WILH. GUTHRIE & JOH. GRAY *Allgem. Weltgeschichte* III. Th. p. 293. Lucem artium & literarum apud Carthaginenses (ac vicinos etjam optimates Africanos) non contemnendam obtinuisse, vel celebris PLINII locus docet (*Nat. Hist.* L. XVII. C. V.): „Pœnus (Dux) MAGO, cui quidem tantum honorem „Senatus noster habuit *Carthagine capta*, ut quum re- „gulis Africæ Bibliotbecas donaret, unius ejus duode- „viginta volumina censeret in Latinam linguam trans- „ferenda.“ Bibliotecæ igitur *Carthagine* aderant, iisque reguli Africæ pretium statuere norant; quod iis tribuere barbari Romani, opprimere orbem quam colo- lustrare diligentius studentes nesciebant!

scripturam Alphabeticam ad vicinos quoque nonnullos populos propagasse; improbabile haud videtur. Hoc saltim notum est, *Numidas & Mauros* literis usos fuisse (*e*); licet quales illæ fuerint, & a quibus eas acceperint, exacte definiri non posit. Fateri etjam oportet, literas non videri admodum late his viis ad populos Africanos penetrasse; quarum neque ulla fere supersunt vestigia. Plurimos contra illorum incultos plane fuisse & barbaros, antiquioris ævi scriptores testantur. *Aethiopas* vero, qui adhuc una cum quibusdam Indiæ gentibus scripturæ quodam genere syllabicæ utuntur, illud videri *Syris & Homaritis* debere, non improbabiliter disputatur (*f*). *Arabes* tandem una cum religione literas etjam suas late per Africam propagarunt. Hinc notum est, multos Africanos non alia fere uti scriptura: quin nonnulli (Aegyptii &c.) neque alia hodie lingua quam Arabicæ utuntur. Europæis vero hodiernis hoc sane est dedecori, quod ad literas, artes & scientias in Africa propagandas parum omnino contulerint, quippe qui eam opprimere & subjugare malunt, quam ex-

F 2 co-

(e) Hoc sane de Numidis testantur *SALLUSTIUS Jugurthæ* Cap. LXX. & LXXI. & *VALERIUS MAXIMUS* L. I. C. I. Literas vero *Maurorum* similares fuisse *Numidicis* existimant *WILH. GUTHRIE & JOH. GRAY* I. c. V. Th. 2. pag. 143.

(f) Cfr. Quæ jam observata sunt p. 31. not. h,

colere; si recentes Anglorum in *Sierra Leona* conatus consiliaque excipias, non optimo hactenus successu usa.

§. IX.

Quod ad *Americanam* attinet, illam cum primum ab Europaeis detegeretur, parum cultam fuisse, constat. Vestigia diluculi cuiusdam apud *Mexicanos* & *Peruvianos* reperiire licuit: qui non minus quead vitam civilem, quam artes quasdam a se inventas, cæteris Americæ populis, rudibus plane ac feris, longe præstabant (*a*). Hinc illi neque arte scribendi omnino caruere. Mexicanos enim scriptura *Cyriologica* (quam Dn. ROBERTSON haud incommodo *Picturawriting* appellat) & *symbolica* usos fuisse (*b*); Pe-

ru-

(*a*) Cfr. ROBERTSON *Hist. of America*, Vol. III. B. VII.
p. 151 — 227.

(*b*) Quin ad initia scripturæ quoque Characteristicae progressos fuisse testatur ROBERTSON l. I c. c. P. 181. 182.
cojus verba sunt: „But it is only in one instance the
„notation of numbers, that we discern any attempt
„to exhibit ideas, which had no corporeal form.
„The Mexicain painters had invented artificial marks,
„or *signs of convention*, for this purpose. By means
„of these, they computed the years of their kings
„reigns, as well as the amount of tribute, to be paid
„into the royal treasure. The figure of a circle re-

ruvianos vero per nodos filis variis coloris artificiose innexos (Quipos), memoriam rerum memorabilium posteritati mandasse, scriptores testantur (c). Veterem vero huncce morem & cultum eorum, sensim jam periisse, notissimum est. Europaeos enim, subjugata America, una cum religione Christiana literas etjam suas illuc attulisse, nemo ignorat.

§. X.

Supereft, ut ad *Europam nostram* tandem veniamus. Illam, ut totam suam lucem, ita etjam literas, *Græcis* imprimis debere, inter omnes constat. Dolendum vero, Historiam Palæographiæ [Græcæ densa circumfusam esse caligine. Pro certo quidem affirmari potest, literas Græcorum *Phœniciaæ* esse originis (a); quo vero tempore, & quibus auctori-

F 3

bus

„presented unit, and in small numbers, the computation was made by repeating it. Larger numbers were expressed by a peculiar mark, and the had such as denoted all integral numbers from twenty to eight thousand. The short duration of their empire prevented the Mexicans from advancing farther in that long course which conducts men from delineating real objects, to the simplicity and ease of Alphabetic writing.“ Cfr. etjam p. 386. not. XXVI.

(c) Cfr. *Iupra* p. 12. not. (b).

(a) Literas *Græcas* *Phœniciam* prodere formam, demon-
strat MONTFAUCON *Palæographiæ Græcae* I. II. c. XI.

bus in Græciam sint allatæ, homines eruditæ litigant. Sunt enim, (inter quos Illustr. WOOD) qui eas æta-
te Homeri juniores esse existiment (*b*), Poëmata
summi

p. 120 & 126 sq. Et inde JOH. JAC. RAMBACH *Zusätze*
(III. Th.) zu JOHAN POTTERS *Griechische Archæologie*
p. 243. (cfr. Tab. I.) Fuere quidem, qui literis Græ-
cis originem Aegyptiacam tribuerent, Cadmum natio-
ne fuisse Aegyptium statuentes. Maximæ vero au-
ctoritatis scriptores testantur, eum filium fuisse Age-
noris, qui Aegypto relicta, in Phœnicia regnavit.
Hinc probabile videtur, Cadmum in Phœnicia natum
& educatum, scripturam patriam potius quam Ae-
gyptiacam ad Græcos attulisse. Alii cum OLAO RUD-
BECKIO (celebri *Atlantices* auctore) literas Græcas ex
Runis veterum Gothorum derivare conati sunt. Hoc
vero quam absurdum sit, nemo non videt. Unde
enim constat, Runas tum jam fuisse a nostris adhi-
bitas? Illustr. IHRE copiose sane ac graviter demon-
stravit, illas seculo demum quinto vel sexto post æ-
ram Christianam, in septentrione innotuisse. Cfr. JOH.
GUST. STENBERG *Dissert. de runarum patria & origine*
præf. Illustr. IHRE 1770. Upsaliæ edita.

(*b*) Huic vero sententiæ testimonia veterum auctorum
expressa repugnant. Sic v. c. HERODOTUS lib. V. c. 59.
inscriptionum vetustarum, ævo Homeri superiorum,
mentionem facit, quas apud Thebas Bœotias in Is-
menii Apollinis templo se vidisse affirmat. Ac Ση-
ματα quæ in Iliad. Z. iv. 168. pugillaribus inscripta
fuisse commemorantur, commode literas significare
possunt. Usum tamen literarum apud Græcos, ex

summi hujus vatis memoriae tantum ope condita,
cantuque propagata fuisse censemtes: qua etiam ratione Carmina *Ossiani* ad nos pervenisse constat. Alii
autem

defectu materiae in qua commode scriberent, reliqui-
que apparatus ad facile scribendum necessarii, aeo
Homeri admodum fuisse ratum, mirum nemini vi-
deri debet. Cfr. JOH. HEINR. JUST KÖPPEN *Erklärende Anmerkungen zum Homer* II. Band, pag. 171, 172.
Homerica vero poëmata si, ut recentiores nonnulli
suspiciuntur (quæ sententia nec veteribus ignota fuit)
non ab uno auctore profecta, sed a pluribus vetustis
carminibus nonnisi memoriae ope hactenus conservatis,
serius confusa (quod idem de OSSIANI Poëmatibus
plurimi jam docent) ac in unum compacta fuisse,
existimetur: mirum videri non debet, vestigia
scripturaræ vel in iis parcissime occuruisse, vel ex iis
fuisse deleta. Vid. FRID. AUG. WOLFII *Prolegomena in Homerum* (s. HOMERI Opera cx recent. Fr. A. WOLFII
T. I.) Halæ 1795. 8:o. cfr. memorabilis hujus libri
recensio in *Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen*
(a 1795. N:o 186. p. 1857. lqq. (cfr. ejam quæ di-
sputat Cel. HEYNE ib. N:o 203. pag. 2005 sqq) & in
Allgem. Litteratur Zeitung a. 1796, N:o 33 & 34. it.
WOOD I. c. p. 272. lq. & *Zusätze* p. 58 sq. Vid. e ve-
teribus PLATO *Hipparch.* init. CICERO *de Orat.* L. III.
C. 34. JOSEPHUS *contra Apion.* L. I. C. 2. (edit. Ha-
vercamp) pag. 438 sq. AELIANUS *Var Hist.* L. VIII.
C. 2 & L. XIII. C. 14. FUSTATHIUS *Comment. in Homer.* L. I. init. GETLIUS Lib. VI Cap. 17. PAUSANIAS
L. VII. C. 26. SUIDAS in voce 'Ομηρος &c.

auctoritate suffulti *Herodoti*, Cadmum Phoenicem Græciæ literas primum intulisse; alii eas jam ante Cadmum *Pelasgis* notas fuisse, contendunt. Inter tam diversas sententias, difficile est judicatu, cui potior fides sit tribuenda? Cum tamen Herodotus de literis per Cadmum in Græciam primum allatis, nihil certi ipse affirmet (c), & ex Historia eluceat, gentes Græcas mature satis imperiis jam fuisse firmatas, legibus instructas, & commercio cum exteris gentibus (etjam Phœnicibus) conjunctas; non possumus non eorum potissimum sententiæ assentiri, qui usum literarum in Græcia Cadmo superiorem fuisse arbitrantur. Contendunt nimirum, Pelasgos (quos alii a Phœnicibus, alii a Scythis ortum duxisse putant) literas in Græciam primum adduxisse; Cadmum vero in Europam serius profectum, scripturam hancce Pelasgicam emendasse, (forte auxisse, figuræ quarundam literarum mutasse, nomina iis imposuisse Phœnicia &c.). Veterum quoque Rhodiorum & Cretensium traditiones a DIODORO Siculo conservatae, sententiam hancce confirmant. Quarum illæ testabantur, jam ante diluvium Deucalioneum,

lite-

(c) Quod enim de hac re commemorat, non nisi suam esse Hypothesin verba ipsa l. c. C. 58. indicant: 'Οὐδὲ Φοίνικες ὄντοι, οἱ σὺν καίδῳ ἀπιόμενοι — ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἑλλῆνας, καὶ δὴ καὶ γραμματα, οὐκ ἔοντα πέρι Ἑλλῆσι, ὡς εμοὶ δοκεῖ.

literas in Græcia usitatas fuisse, memoriam vero eorum una cum maxima parte hominum hoc casu periisse (*d*), ideoque Cadmo postea in Græciam venienti totam inventionis laudem fuisse tributam. Hæ vero docebant, Phœnices cum Cadmo in Europam profectos, literas Græcas non invenisse, verum formas tantum elementorum immutasse. Ex quibus assertionibus inter se collatis, apparere videtur, apud Græcos jam ante Cadmum literas in usu fuisse; eas vero a Pelasgis, gente antiqua & per Græciam late diffusa, non solum primo advectas, verum etiam deinde ab interitu conservatas, ac per Græciam propagatas fuisse, admodum probabile credas: quam etiam forte ob causam πελαγινα γραμμata dictæ sunt, eadem ex ratione ex qua post Cadmuū easdem Φοινικια vocatas esse, constat (*e*).

Sed de origine scripturæ Græcæ satis jam dictum. Gentes vero Italas scripturam suam Græcis debere, nemo jam in dubium vocat. Hoc enim non minus ex

G Græ-

(d) A Pelasgis tamen superiora Græciae loca incolentibus, servatas esse Græcorum literas tradit EUSTATHIUS in Scholiis ad Homeri Iliad. β. v. 841.

(e) Cfr. quæ de tota hac re egregie agit BOUHIFRUS in Dissertat. sua: *De priscis Græcorum & Latinorum literis. Consularur etiam RAMBACH Supplēm. ad POTTERUM* l. c. (Ill. Th.) p. 237, sqq.

Græcarum literarum cum Latinis affinitate (*f*), quam ex testimoniiis veterum scriptorum evidenter elucet. A qua vero imprimis gente Græca Latini literas suas acceperint, inter eruditos non convenit: alii enim Pelasgīs, alii Arcadibus hoc tribuunt. Veritati tamen maxime convenire videtur, a Pelasgīs oīn e Græcia in Italiam migrantibus, scripturam Græcorum antiquissimam primum illuc advectam fuisse. *Etruscos* vero utpote vetustissimam Italīe gentem, & gloria navigationis artiumque mature jam excultarum nobilissimam (*g*), a Pelasgīs (cum quibus aliquan-

(*f*) Hoc inter veteres testatur PLINIUS *Hist. Mundi Nat.* L. VII. c. 58. dicens: „Veteres Græcas (literas) fuisse easdem p̄ne, quæ nunc sunt Latinæ, indicio „erit Delphica tabula antiqui æris.“ &c. TACITUS *Anal. Lib. XI* c. 14. etiam docet, literas Latinas veterissimis Græcorum similes fuisse. Cfr. MONTEAU-CON I. c. L. II. c. I. p. 121.

(*g*) De artibus Etruscorum cfr. WILH. GUTHRIE & JOH. GRAY l. c. IV Th. p. 18. sqq. Consulatur etiam HERDER I. c. III. Th. p. 225 — 233 *Geset. der Etruscer* (*in Sammlung von Erläuterungs-Schriften zur Allgem. Welt Historie* II. Th. Abschn. II. p. 84. sqq. AMADUTHII *Alphabetum veterum Etruscorum Romæ* 1775. fol. pag. LVII & plures *Commentationes* CEL. HYNE *in Novis Commentariis Societatis R. Scientiar. Gottingenfis* T. III. p. 32. sqq. T. IV. pag. 65. sqq. T. V. p. 37. sqq. T. VI. p. 35. sqq. Nec non (cujus recen-

do intime fuisse conjunctos ex antiquis scriptoribus apparet) literas primum accepisse, ac deinde cum vicinis suis Italiam communicasse, non immerito defenditur. (Alii directe ab ipsis Phœnicibus habuisse, minus, ut nobis videtur, probabiliter, putant). Arcadas serius, duce Evandro in Italiam profectos, mutatas (per Cadmum) literas secum attulisse & in Latio propagasse, improbabile haud videtur (*h*).

§. XI.

Ex literis Græcis porro *Sclavonicas* etjam & *Rusicas* esse natas, satis constat. Historia enim testatur, Græcos una cum religionis mysteriis scripturam etjam suam cum his communicasse. Ac notum est, Constantimum Philosophum Græcum, qui seculo nono vixit, sub nomine etjam **S. CYRILLI** celebrem, gentibus Sclavonicis (una cum fratre suo *Methodio*) literas primum instillasse: a quo Cyrilliæ deinde sunt appellatae (*a*). Ex Græcis etjam

G 2

lite-

sio exhibetur in *Gött. Anzeigen von gelehrten Sachen* A. 1791. p. 137 sqq. & p. 174. sq.) LANZI *Saggio di lingua Etrusca &c.* Romæ 1789. 8:o.

(b) Cfr. Dissertat. Dn. Mag. GABR. JOH. CAJANDER *de origine Literarum Latinarum* præf. Celeb. Dn. Prof. PORTHAN Aboæ 1786. edita.

(a) Vid. SCHMIDT genannt PHISELDEK *Einleitung in die Russische Geschichte* I Th. I Haupft, §. 18. p. 77. sqq.

literis *Moeso Gothicas* vel *Uphilanas* (b) esse ortas, communis est eruditorum opinio. Ac qui Alphabetum *Uphilanum* cum Græco contulerit, magnam fane inter ea deprehendet similitudinem (c).

§. XII.

Latinis vero reliquas omnes gentes Europæas reliquarum literarum usum debere, in confessio est; Turcis exceptis, qui scriptura Arabica utuntur (a). Veterum Europæ gentium quam plurimas lite-

Hoc Alphabetum *Bulgaris* etiam, *Dalmatis* &c. commune est.

(b) Sic dictas ab *Ulpila*, Episcopo Mœsiæ, auctore versionis Bibliorum Gothicæ, cuius fragmenta exhibit nobilissimum illud antiquitatis monumentum *Codex* qui appellari solet *argenteus*, quem Bibliotheca Upsaliensis hodie servat.

(c) Cfr. Illustr. IHRE *Analecta Ulpilana* p. 34. Tab. III p. 46. sqq. Idem I. c. p. 50. sqq. Scythes Græcorum Magistros salutans, literas quidem Græcas ex Gothicis derivare haud dubitat, quæ tamen sententia a vulgari opinione valde recedens, an multos nactura sit defensores, dubitamus.

(a) In Hispaniam & Siciliam &c. a Phœnicibus ac Carthaginensibus, qui coloniam illuc deduxerant, artens scribendi olim fuisse adiectam, nonnulli eruditi contendunt, neque dubium videtur, quin coloni ipsi dome-

literis plane caruisse, novimus. Sic v. c. apud veteres Thracas, Germanos, Britannos, Iberos &c. nulla earum adhibitarum vestigia reperiuntur (b). Ope tantum carminum eos solitos fuisse, memoriam rei um præclare gestarum ad posteros propagare, Historia testatur (c). Quod ad Runas gentium septentrionalium attinet, ex literis Latinis ortum suum

G 3

illæ

- sticis literis, secum advectis, usi sint: quod & monumenta antiqua literis sive Phœniciis sive Punicis exarata, in iis locis repertæ, confirmant: quorum tamen quædam recentioris esse ævi, & ab Arabibus, earundem terrarum dominis, profecta, suspicari licet? Ad indigenas vero, hac via, literas haud late fuisse propagatas credas; ut nec Arabicæ stabilem apud Christianos Europæos usum obtinuerunt. Si locus CÆSARIS (de bello Gall. L. VI. C. 14.) recte habet, Gallos in reliquis fere rebus præter eas quæ ad Druidum disciplinam pertinerent, publicis privatisque rationibus, Græcis literis usos fuisse; has sine dubio a Massiliensibus didicerunt. Cfr. STRABO Geogr. L IV. pag. 125. (ed. CASAUBONI Genev. 1587. fol.) GUTHRIE & GRAY (s reæctius JOH. DAN. RITTER) l. c. V. Th. III B. p. 320 sqq.
- (b) Germanos literas ignorasse, docere quibusdam videatur etjam TACITUS Germaniæ Cap. XIX. De Tracib[us] ctr. AELIANUS Var. Hist. L. VIII. C. 6. (ex Androtonie, cui tamen ipse non maximam fidem tribuisse videtur.)
- (c) Sic v. c. TACITUS l. c. C II. tradit, Carmina apud Germanos unicum fuisse memoriae & Annalium genus.

illæ quoque, sine dubio ducunt: magnam certe cum illis, attente consideratæ, ostentant convenientiam. Fatendum quidem est: quæ de prima origine & patria Runarum traduntur, deusis involuta esse tenebris; hoc tamen non sine ratione contendi posse videtur, illas vel in Germania vel in Anglia non ante seculum post æram Christianam quintum natas fuisse (*d*) ac in septentrionem propagatas longe lateque apud Norvegos, Suecos, Danos, Islandos viguisse. Lapidibus & lignis insculptas (*e*), & cippis imprimis sepulchralibus in honorem mortuorum erexitis fuisse incisas, constat. Sensim vero literis Latinis locum concesserunt, ita ut seculo decimo quinto usus earum in patria nostra penitus evanuerit (*f*).

(*d*) Cfr. JOH. GUST. STENBERG Dissert. *De Runarum patria & Origine* præl. Illustr. IHRE 1770. Ups. edita. Fuere nonnulli, qui *Odinum* Runas ad Scandinavios primum atrulisse contendenter. Quæ tamen tentatio nullo suffulta est fundamento. Nemo certe veterum scriptorum vel verbo hujus rei mentionem facit.

(*e*) Quod etjam celebres illi versus VENANTII FORTUNATI (sec. VI. scriptoris) lib. VIII. Epigr. XVIII. indicant:
Barbara fraxineis pingatur runa tabellis,
Quodque papyrus agit, virgula plana valet.

(*f*) Cfr. CEL. GOTTLIN Dissert. *De Runarum in Suecia occasu* Præl. Illustr. IHRE Ups. 1771 & 1773 edita,